Crac. Studior. Univ. Jag.
Promotiones Phil. Ord.
1639. 1.

7.

Strzeszkowski Joan: Decas Nobilissimorum Adolescentium primam in A.A. LL. et Philosophia lauream sumentium.

DECAS

NOBILISSIMORVM ADOLESCENTVM;

PRIMAM IN ARTIBVS LIBERAlibus & Philosophia lauream,

IN

ALMA ACADEMIA CRACOVIENSI, SCHOLA REGNI GENERALI;

Præsente Perillustrium Admo: Reue: Clariss: Virorum, ac iuuentutis florentissimæ corona,

DEBITE SVMENTIVM.

In signum boni affectus hoc Carmine

A

IOANNE STRZESZKOWSKI eiusdem Laureæ Concandidato exornata.

Anno M. DC. XXXIX.

CRAC. *Typis Stanislai Bertutowic Lenczewski.*

IN STEMMA ALMÆ ACADEMIÆ CRACOVIENSIS.



Sunt duo principium numeri, quo, ritè teguntur
Omnia, quæ vastus Circulus Orbis habet:
Sceptra vides etiam numero connexa duali,
Omnis in Orbe boni, sunt ea principium.
Vulgarem scitote sonum, est ACADEMIA *Mater,*
Namq́; bonorum illa est, & Pater, & genitrix.

AD

Perillustres & Admod: R̃ndiss: Patres
COLLEGAS MAIORES PATRONOS, Fautores, & Mæcenates plurimùm colendos.

APOSTROPHE.

VEstram quo referam carmine gloriam,
Euterpe faciet quod cupio melos,
O ACADEMIÆ lumina maxima,
Diuorum genus optimum.
Est promptum labium sed studium impotens,
Certè nulla valent flumina montium,
Laudes promeritas fundere prosperè
Vobis eximij PATRES.
Phæbus iam tenebras induet asperas,
Et fax Tyndaridum vincula sanguinis
Rumpet, iusta tamen non poterit dare.
Vestro Stemmata nomini
Qui Patrum nitidam dicere adoream
Tentant! hic hominis vaniloqui modus,

Quo dat perſpicuam ſtultitîæ luem,
Stillas enumerans maris.
At vos Muſa potens iam fidibus ſuis
Et noſter numerus vocibus optimis,
Appellare Patres non temerè cupit
Magnì promeritis Viri.
Veſtro præſidio nomen & orbita
Muſarum radiat, quæ tenebris atris
Mundi peſtiferi continuum ſcelus,
Forſan turpia redderet.
Per vos Medus vbi flumina conſpicit,
Formoſus remouet Titan vbi rotas,
Celſos dum tumulos æquoris appetit,
Muſæ gloria tranſuolat,
Per vos Dedaleis mens iuuenum locis,
Et ſæuis Labyrinti data faucibus,
Felix, pauca mali vulnera ſentiens,
Paſſu progreditur bono
Non iam remigij numine cerei
Non penna volucri, ſed face limpida
Virtutis rutilam ſumit adoream,
Tempto tramite lubrico.
Felices nimium nomine & omine,
Qui ducunt animos lucis in aream,

Condens

Condens perpetuam finis & inſciam,
Caſtis pectoribus diem.
Multos iam Barathri pernicies ferox
Lugubri lachrymâ læderet aſperè,
Quos nec vox hominis nec ſonitus Deæ
Mundo conſpicuos daret:
Imò cuncta boni machina pulchrior,
Cuius ſubſidio temperies manet
Mundi, perceleri funditùs impetu,
In mortis rueret plagas:
Aſt ſublata iacent hæc mala peſsima,
Dum virtus meriti præmia, ſuſcipit,
Et plantis teneris eximium decus,
Veſtro iure reſuſcitat.
Iam pectus Iuuenum turbaq; mentium
Paruarum veniunt, fontis vt aureo
Lactentur fluuio, qui per Academi-
æ latum ſpatium fluit.
Os clauſit rabies, monſtraq; criminum
Interfecta ſilent, fæda proteruia
Et quidquid cumulat lixa ſuperbiæ
Afflicta exitio gemunt:
At lux perpetuis eſt Academica,
Viuax temporibus veſter enim labor

Scit vexilla ſuæ pandere gloriæ
In Matrem venientia.
Nunc iam CRACIADES tuq́; POLONIA,
Feſtum concipias pectore canticum,
Tantos quod generes in gremio Viros
Geſtant qui tua te quoq́;
Nos verò Iuuenes quos decus arduum,
Lauri condecorat lampade clarius
Cantemus ſubitò dulciloquo metro,
Illorum pia nomina.
Vitæ conſpicuis currite paſsibus,
Exemploq́; ſuam progeniem altius,
Exportate Patres, lumina grandia,
Cœtus noſtri Academici.
Vobis magna DEI dextera longius,
Vitæ multiſciæ vellera protrahat,
Iàm noſtris oculis viuite proſperi,
Ætatum numero graues.

V. D. STANISLAO MARCINOWIC.

Magnus Ariſtoteles, naturæ interpres acutus,
Tu noſti grandi codice quid teneat,
Perge igitur felix ſcrutari arcana profunda,
Namq́; tibi ingenium, promptaq́; Suada fauet.

Tullius

V. D. ALBERTO SZCZVKA.

Tullius ornatu quis ſit quid Latia linguæ:
Et quantum valeat fuſus ab ore lepor.
Hoc tibi conceſſum Diuorum munere noſſe,
Magnus eris cæptum ſi modo perfeceris.

V. D. IACOBO KVNOWSKI.

Hebrææ linguæ ſacræ primordia noſti,
Cur cælum gyret terraq; cur iaceat.
Muſarum verſus placidos tu fundere promptus,
Vt viuas felix ſecula longa, precor.

V. D. STANISLAO MOGILNICKI.

Sicut Sol cælum ſic vera modeſtia doctum
Ornat; ſi fuerit cum grauitate ſoror.
Præter notitiam rerum, quâ multa penetras,
Te fateor virtus hæc quoq; condecorat.

V. D. STANISLAO VNIEIOVIO.

Stellarum princeps Phœbus, iam noctis opacæ
Longa luce micans diminuit tenebras.
Tu quoq; contendas imitari ſydera cæli,
Cui animi fulgor ſyderis inſtar adeſt.

Scire

V. D. IOANNI IAKOBOWIC.

Scire cupis, quænam ducant ad culmen honorum
Accipe; doctrinæ cum pietate nitor.
Ergo tuum pectus pietas, ac docta Minerua
Excolat, hoc etenim tramite currit honor.

V. D. ALEXANDRO RAZOWSKI.

Dulcia fallacis mundi contemne venena;
Quæ blando ſtultus corpore paſcit amor.
Conatus caderent, ſtudium, vireſq́;, laborq́;,
Ni præfixa foret, meta ſecunda tibi.

V. D. MATTHIæ VIDAVIO.

Pulchrum eſt, haud dubie, exornari mēte ſagaci,
Et retinere animum iudiciumq́; graue.
Non tamen è puncto cures Virtutis abeſſe,
Ornamenta boni nominis illa parit.

V. D. GASPARO PADVKOWIC.

Principium, rebus feruens exordia ponit
Finem, conſtanti vita peracta gradu.
Rectè cepiſti, verum tibi cura remanſit,
Proſper diſponas facta futura benè.

Sub felicibus auſpicijs,
ADMO: REVER: & MAGN: D.
D. ALBERTI BOROVII,
S. Th: D. & Profeſſ. Cuſtodis S. Floriani,
Can: Scarbimir. Vniuerſitatis Crac.
RECTORIS
vigilantiſsimi.